

Cl. V. Dñe & Amice observande.

Nondum.
83)

Condonabis mihi, quod hactenus a redata nostro nihil literarum ad te dederim. mearum enim partium fuisse & itineris felicitatem tibi exposuisse quo non ingratus in Deum videar, qui nos tam clementer periculoso & turbido tempore servavit; et pro officijs ac humanitate vestra vobis gratias dixisse. Prius spero Cl. D. vander Linden tibi communicasse: posterius nunc demum ipse praesto, et me vestram debitorem lubens agnosco, id vobis omnibus expectans at liceat mihi tam esse felici, quo similia humanitatis officia vobis vestrisq; aliquando exhibeam. Certe nihil aliud eis apud me effecistis, quod me ad annuos ad vos excursus invitaveritis & invitaveritis. et quidem desiderium hoc in me eo majus, quo propter aeris injuriam minor nobis data fuit occasio vestra hac humanitate utendi fruendi frequentius; Si Deus volet, imposterum observabo tempus commodius, quod visitandis amicis impendam. Ne tua culina, si rediero ad vos!

Academia nostra novum deliquitum passa est, quod D. Schotanus Stationem Academicam Ecclesiasticam permittaverit. Ut dissuaderem bono viro factum, omnes machinas adhibui; sed nihil profeci, scilicet ut retenta professione exspectaret vocationem Ecclesiasticam, quam ego cum uno atq; altero ex nostro ordine urgebam; sed vidit homo alias non versutus se eo emergere non posse nisi repudiata prius professione. volebat enim Walicens Professorem collegam; interim in illa spe ab amicis confirmatus, fore ut obtenta vocatione ministerij, quam reliquerat, Professionem illi denuo offerrent. Et sane re. Successum non caruit. nam eo ipso momento, quo Professionem illustribus, Dñs Ordinibus vel potius eorum delegatis in manus tradidit, revocatus denno & rogatus ab illis est, ut functionem Academicam Ecclesiasticam jungeret, vel saltem utrumq; munus ad tempus obiret. ne offenderet novum Collegam priori conditione in deliberationem accepta posteriorem amplexus est. Sic ars delubatur arte. quid de reliquo futurum sit, tempus docebit. Caremus interim ego collega amico, quem ceteri Senatu atq; alio collegio nostro excluderunt. Magnificus Assessor, homine pio & moderato.

Sed forte hoc satis superq; apud vos notum, & ex dictis deliquitum hoc non tanti facietis, referam tibi minus notum, in quo Eclipsin non contemnendam Ecclesia nostra passa videtur. Proxima hac caena Autumnali, qua nobis semper Ecclesia eligitur presbyteriatum pluritate suffragiorum obtinuit Jacobus Gemenich Consulibus a secretis. Res hac pessime habet plerosq; civis, eoq; magis quod directio hujus ab eo profecta, a quo minime debebat, & qui semper pessime de eo tum apud me tum apud alios locutus est. intelligo D. W. quem adeo caeca habendi cupido transversum abripuit, ut honestas penè apud ipsum exulet. Quid fures facerent, audient si talia Reges. putat vanus homo se hoc ipso tantum gratia apud ipsum, a quo jam dudum civitatis regimen defendit, aucupaturum, ut pro praestito concionandi officio, quod vacante sic ministerio obivit, aliquot centenos honorary loco obtenturus esset. nec cogitat Deum odisse proditores, nec pati se illud, atq; adeo severum vindicem futurum sui honoris. hinc metuo illi plurimum, ne suo malo aliquando sentiat, quod equum Trojanum sibi in synedrium adduxerit. Ac quasi illud non suffecisset, ut majorem gratiam sibi demereret, studebat quoz diaconos tales intrudere, qui toti a Consulibus pendeant. Sed hic spe sua exiit, quum nacti simus Petrum Schotanum, Apostolicum & Inter. pateris Aurisalem, summes, symeros et boni nominis.

Dum hac scribo traduntur mihi tuae littere una cum Falko, de quo hoc tantum respondere, me occasionem captaturum, ut hic, fidelem tibi operam navare possim, praeparaturus interim nonnullos animos, ut feliciter res succedat. Balckio in procedendis suis contra Socinum in Jos. Evang. annotationibus adstisti, et ad sisto etiam non rogatus a te, quia interese tecum iudico ut talia emendatius edantur. Johannes Jacobi nauta tibi usuras propterea, quas illi hic refundam, tu cura ut habeat apocham. Vale & cum christianissima tua littera, quibus nostro omnium nomine salve. Francker 15 Novemb. 1653 Tuus et servus Bernhardus Fullenius.

Amo socors non satis ad rationes attendit

Leida

Reverendo ac clarissimo Domino
Dno Johanni Cocceo S. S.
Theologiae Doctori & Professore
dignissimo, vigilantissimo in illustri
Universitatis Academia, quae est

